

/ Serenissima Domina mea. Respondeo ad litteras datas 19 Aprilis; nam ad alias, in quibus agebatur de Indulgentiis Bavaricis, et de Agnis Dei benedictis, respondi die 13 ejusdem mensis, et spero eas esse receptas. Quod igitur attinet ad imaginem expressam ex ipso vultu Domini properantis ad Crucem, quae vulgo dicitur, Vultus Sanctus, non fuit opus, ut ego molestus essem vel Summo Pontifici vel Serenissimae Mariae Magdalenae Conjugi Magni Ducis; nam habebam ego in cubiculo meo imaginem expressam ab ipso Vultu Sancto, qui in Ecclesia S. Petri habetur in maxima veneratione, et jussu ostendi Legato Magni Ducis, qui est hic Romae, et ejus Conjugi, qui viderunt Florentiae apud Serenissimam Sororem vestram, eam quam accepit a Papa; et testantur, has duas imagines esse simillimas, utpote expressas ab eodem exemplo. Et quamvis ego huic imagini valde affectus essem, tamen libenter misi ad Serenissimam Celsitudinem Vestram, quia non dubito multo majori devotione colendam esse a Celsitudine Vestra, quam a pusillitate mea. Opto omnino ut Serenitas Vestra non sinat exprimi ex hac imagine alias similes, ne valor ejus vilescat, et ne praeceptum Summi Pontificis datum Serenissimae Sorori vestrae, per me violatum fuisse videatur. Arcam plenam Agnis Dei spero jam esse delatam ad Serenitatem Vestram. De Indulgentiis Bavaricis adhuc haeremus, sintne verae, et legitimae, an falsae, et suppositae. Certe is, qui hic Romae agit negotia Ducis Bavariae, Illustris Dominus Cribellus, negat se misisse ejusmodi Indulgentias; adhuc tamen non certi sumus, sintne Indulgentiae legitimae, an spuriae. Valeat Serenissima Domina mea memor servi sui in sanctis precibus suis, et simul salutare dignetur nomine meo Serenissimam Leonoram sororem suam et Dominam meam, in cuius precibus multum confido. Romae, die 3 Maii 1619.